





P 4

~~P 4~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

17-49.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

Primam & vltimam dissertatio-  
idem qui obtulit ceteras  
cum iam in Bibliotheca  
Volam. Diss. Veraplo. & it  
reperiant, excedit.



23.  
20  
Q. D. B. VI  
AUSPICIIIS

RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMI,  
SERENISSIMI PRINCIPIS ATQVE DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,  
ELECTORATUS SAXONICI HEREDIS  
ETC. ETC.

# NODUM IN SCIRPO,

*seu loco 2. Petr. 1, 20. quæsitum, & ab  
H. H. non solutum, sed nexum,*

PRÆSIDE

GOTTLIEB VVERNSDORFIO,  
S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Alumn.

Sax. Inspectore, & Acad. h. t. PRO-RECTORE,  
d. XXVI. Mart. A. R. S. c1o 10cc IX.

H. L. Q. C.

VALIDIS RATIONIBUS RESOLVET  
M. GOTTFREDUS ROMANUS HENNIUS,  
VVEISSENSEA-THUR.

---

VITEMBERGÆ,  
LITERIS CHRISTIANI GERDESII.



RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMAE  
UNIVERSITATIS HALLENSENSIS  
D. N. FRIDERICI AVGVSTI  
RECTORIS ACADEMIAE HALLENSENSIS

NOTIUM IN  
SCIRPO

Paulo a. P. 1. 20. Christoph. G. H.  
H. H. non. G. H. non. G. H. non.

PRÆSIDI  
GOTTLIB VERNSDORFIO  
S. S. Theol. Doct. & Theol. Publ. Alumn.

VALDIS REVERENTIBUS REVERENTIBUS  
M. GOTTFREDUS ROMANUS BENNIUS  
VEISSENBERG. THUR.

INTERMEDIUM  
L. T. CHRISTIANI GEBELII







Uum nuper admodum scribenda mihi Disputatio esset *de Verbo DEI scripto*, initio constitutum habebam cum animo meo, ea omnia persequi, ac confutare, quæ hoc tempore de Scriptura Sacra perperam statuuntur. Sed enim quum manum operi admovissem, tum vero intellexi demum, prolixius me institutum aggressum esse, quam quod paucis absolvi paginis queat. Quapropter satis tunc habui, *Definitionem Scripturæ*, nostris in Ecclesiis, scholisque, receptam, a fanaticorum hominum cavillationibus vindicasse: reliqua, imprimisque caput de *interpretatione Scripturæ*, peculiari dissertationi reservanda fuerunt.

§. II. Quod igitur ad *interpretationem Scripturæ* attinet, de illius jure, principiis, legibus, multæ, ac graves nobis controversiæ, cum *Pontificiis, Arminianis, Fanaticis, & aliis*, intercedunt. Dubito autem, an quæ majoris vel periculi, vel momenti, nobis unquam motæ a professis hostibus fuerint, quam nunc excitantur ab iis, qui vestigia ipsius Lutheri premere, & multo, quam alii, exactius, tenaciusque bonæ interpretationis leges cum nosse, tum observare, sibi videntur. Postulantur enim Ecclesiæ Doctores supinæ cujusdam negligentia, & affectatæ incitiæ, usurpatæque in homines, nihil tale promeritos, tyrannidis, quum nullam, nisi sua e cathedra interpretationem, utut e fontibus derivatam, firmissimisque rationibus suffultam, ferre possint, præjudicatisque sententiis, ultra quam fas sit, inhæreant, eademque omnia promiscue laudent, mordicusque defendant, quæ modo cunque acceperint a majoribus, cujus demum cunque sint dignitatis, ac notæ, novas autem, & receptis opinionibus adverstantes sen-



tentias eo usque averfentur, ac oderint, ut eos veit juratos veritatis hoftes intueantur, qui quoquo modo fontes ftudiofius fcrutari, & novum quid afferre, ab eorumque placitis defletere aufi fuerint.

§. III. In exemplum lifto *Philologum Julianum H. H.* Virum alioqui fua non defraudandum laude, nec omnino nullis in rem literariam meritis infignem. Qui, quum fele male apud cordatiores audire, ob monftrofos quosdam portentofi ingenii foetus, Halis obftetricantibus, editos, intellexit, peculiarem, anno fuperiore, fcripfit Differtationem, titulo quidem, ut in nervofum D. Lutheri in totam S. S. Commentarium praefaretur, re autem vera, ut *male-cogitatorum* rationem redderet *non bonam*, vel etiam collectam longo tempore bilem evomeret tandem in eos, quorum liberioribus monitis effrenem fuam in fcribendo licentiam quodammodo repressam fuiffe meminerat.

§. IV. Eo igitur in libello cum alia multa parum prudenter, ac fobrie difputavit, tum praecipue locum *2. Petr. I, 20.* quem fuis potiffimum aufibus obftare intellexerat, foediffime corrupit, noftratum vero de eodem fententiam ea impotentia paffim exagitavit, ut mirari fatis non poffim, virum elegantioris literaturae, ut videri vult, ftudiofium, tam foedo affectuum impetu abripi potuiffe. Infpiciantur, ni grave fuerit, ea, quae *p. 74. feq.* fcripfit, & facile patebit, nihil hic me vel odio, vel invidiae dediffe. Utut enim videri velit, ifthae omnia in Pontificios, Scholasticosque jacere; facile tamen fubodorabuntur emunctae naris homines, Eundem per Pontificiorum latus Orthodoxos Doctores pungere voluiffe. Omnia enim ifta iis oppofuit, qui Petrum loc. cit. agere de *interpretatione Scripturae* perfvafi funt. Quod idem *Noftates* quoque communiter opinari, unum fi exceperis *Quistorpium* senio-

rem



rem, est in propatulo. Hinc p. 88. causam citatorum a se testium redditurus, subjungit: *Credulum hoc seculum testes postulat in rebus etiam apertis. Qui non rationibus, non veritate, non firma basi niti, sed lubrica auctoritati aliena, velut stragule, otiosi incumbere malimus dormire, & somniare, non oculis uti.* Et p. 84. istam de interpretatione Scripturæ sententiam nominat *proprium vulgo errorem, & propriam Scholæ interpretationem.*

§. V. Et si proinde nec in se necessarium, nec nobis omnino, pro instituti ratione, commodum sit, minutissima quæque expendere, ibimus tamen per totum istum libellum, videbimusque, quid habeat in recessu, bonaque adeo fide, & procul odio, gratiaque, utra utri sit præferenda opinio, & numine inveteratæ, ac receptæ, recentior anteferri mereatur, paucis dispiciemus.

§. VI. Ac initio quidem non est, cur quis nostram accuset Ecclesiam, quod homines a fontibus arceat, & scrutari Scripturas prohibeat. Scimus, id juris omnibus promiscue Christianis competere, nec hucdum inter Nostros fuit, quod norim, qui id vocarit in dubium. Nihil igitur opus est, illud, consilio Philologi, *Protestantibus vindicare*, quum inde a Luthero nemo fuerit, qui eripere illud voluerit. Testor hic Commentatores veteres & novos, in utraque cathedra docentes, qui magnum & indefessum studium, in scrutandis sacris literis, nemine prohibente, sed potius laudante, & comprobante Ecclesia, posuerunt, & id unum vehementer agere sunt visi, ut nullis non in locis veram scripturarum assequerentur sententiam, eandemque vel primi investigarent, vel ab aliis investigatam reciperent, custodirent, novisque rationibus illustratam, aliquando etiam fortius munitam, ad posteros propagarent.



§. VII. Interim non est putandum, quod fontium inspectio cum monstruosissimis quibusque, & inauditis sententiis, debeat conjungi, aut quasi nemo recte scrutari possit Scripturas, nisi qui veteres interpretationes omnes, tanquam *prejudicia libertati prophetandi adversa*, abjecerit. Nec enim fungi, aut stipites fuerunt Majores nostri, qui nihil recti, aut sani vel assequi per se, vel excogitare, potuerint. Quin imo, ut illi non minore, quam nos, studio fontes consuluerunt; ita in plerisque omnibus, maxime vero capitalibus Scripturæ locis, veram eos consecutos esse sententiam, certum est. Nolim quidem omnes promiscue ab omni errore, etiam in Scripturis interpretandis, absolvere. Homines fuisse memini: humani ab iis nihil alienum puto. Interim non sequitur, quia *potuerunt* errare, eos *actu ipso* errasse: nec, quia quandoque bonus dormitat Homerus, eum veterno quodam perpetuo laborare, putandum est.

§. VIII. Indignum ergo fuerit, hoc, illudve, hac una de causa, rejicere, quia *vetera* sint, pridemque recepta, & plerorumque suffragiis comprobata, quum eadem illa, quæ nunc tanquam novissima, & recens-inventa extollimus, locum aliquando habitura sint in obsoletis, atque veteribus, eademque forsan licentia perstringenda a posteris, qua nunc de majorum sententiis judicamus.

§. IX. Ingenii vero nimis delicati, justoque liberioris fuerit, de affectata Doctorum tyrannide, & invalescentibus, nostrate in Ecclesia, *prejudiciis* conqueri. Immoderatam enim quidlibet sentiendi, scribendique licentiam coercere, non *tyrannidis* est, aut regni, sed *prudencia*, ac necessitatis. Multi enim hoc tempore, ut olim *Agrippina*, lædi se putant, quando imperare non possunt, sub jugumque mitti sibi videntur, quando pro libidine agere omnia in re literaria prohibentur.



bentur. Certum est, præjudiciis indulgendum non esse, quum non raro inimica sint veritati. Sed usus probat, *illos mortalium magis præjudiciis laborare, quam qui omnia præjudicia exuenda esse contendunt.* Nam & hoc inter præjudicia referri debet, *omnia præjudicia* quocunque capiantur sensu, etiam ea, quæ *præter meritum* inter præjudicia referuntur, *abjici oportere.* Grande præjudicium est, Veteres non eodem, quo nos, studio fontes investigasse. Præjudicium est, tanto quamque sententiam magis suspectam esse, quanto sit receptor, & pervulgatior. Præjudicium est, Majores nostros talpa *cæciores*: Nos Argo *oculatiores*: illos densissimis tenebris circumfusos: Nos singulari quodam lumine collustratos fuisse. Denique cum, velimus, nolimus, rata, fixæque nobis sint admittendæ sententiæ, sequetur, quicquid in divinis humanisque rebus statuitur, nihil aliud esse, quam præjudiciorum centonem, eo usque volvendum, ac revolvendum, donec vel casu, vel singulari Numinis providentia, verum inveniatur.

§. X. Nova igitur *temere* admitti non debent, certe non *affectari*, ea præcipue, quæ *portentosa* sunt, & omnium opinionibus adversa. Nec enim putandum est, reliquos omnes rerum eo usque vel incurios, vel imperitos fuisse, ut hoc, illudve, ne minima quidem ratione, inspexerint. Quin potius, quæ modo cuncte receptis a sententiis abeunt, si non pro *explorato falsis*, tamen pro *suspectis* haberi debent, quum antiquissimum quodque, sit quoque verissimum, & veteres argumenta rerum non a *specie*, quod recentiores plerumque faciunt, sed a *soliditate* probarint.

§. XI. Frigidum est, & jejunum, objicere, hoc pacto nil opus fore novis in libros Scripturæ Commentariis, quum, si non novæ quædam sententiæ afferantur, satius sit, *veteres repetere*, quam *novos promittere*, & incautos decipere. Una enim

omnino

enim



enim, eademque opinio potest diversimode tractari, & nunc brevius, nunc prolixius, nunc levius, nunc solidius, nunc confusius, nunc distinctius proponi, quæ singula inducere possunt novitatem rebus. Ipsius Servatoris testimonio *vetus* erat de *charitate* præceptum: quia vero, ad id usque tempus, usu neglectum, a Christo autem denuo quam maxime commendatum, studiosissimeque injunctum fuerat, novum dicebatur. *Job. XIII, 34. 1. Job. IV, 21.* Quapropter si vel maxime Commentatores non semper novi quid afferant, sed veteri potius sententiæ, & explicationi subscribant, tamen, dummodo veterem sententiam vel *profundius* eruant, vel *fortius* defendant, vel *explicatius* tradant, vel *ordinatius* proponant, vel *clarius* edisserant, actum egisse, vel plagium commisisse, vel rem supervacua tentasse, existimari non debent.

§. XII. Interim nec illud negaverim, licere aliquando afferre *novam* interpretationem, dummodo fluat e fontibus, fideique analogiæ & circumstantiis textus respondeat, nec huic admoveantur fidiculæ, quibus ille trahatur, & distrahatur pro lubitu. Monstra enim parere, & prodigiosas, necdum auditas, sententias proferre, quod *Julianum* non semel fecisse, meminimus, utut forsân *ingeniosus* hominis videatur, revera non *interpretis* est, sed *empactæ*, & irrisoris, qui *sacra* nihilo reverentius tractat, quam *profana*, & quidlibet e quolibet fingit, denique id agit, ut liquidam veritatem vel enervet, vel omnino de gradu dejiciat.

§. XIII. Etsi proinde a nemine postulamus, ut instar pedarii alicujus, aut servi, veterum sequatur judicia, & nihil rectum, verumque, nisi quod illorum sententiis conveniat, arbitretur, monemus tamen initio, Veterum auctoritatem *reverenter haberi*, nec temere deseri oportere. Deinceps, si  
omnino



omnino recedendum esse putemus, modeste, & procul infestatione, id fiat. Veritatis enim corruptæ, aut imposturæ, aut malæ denique fidei eos insimulare, hominis esse videtur *parum pii, & valde ingrati*. Tum vero a recepta sententia non ante nobis recedendum esse putemus, quam meliorem afferre nos posse, *explorato* sciamus. Vetera enim *destruere*, nec nova tamen *ædificare*, quod hodie permulti faciunt, stolidi est, & recordis. Postremo, si forte meliorem nos allaturos sententiam persuasi simus, eam tum demum *urgeamus*, si palam constet, veritatis, & salutis publicæ interesse, ut vetus eliminetur, & melior surrogetur. Quoad enim, recepta stante sententia, non periclitatur salus, & utra utri sit præferenda, incertum est, fatius est *veterem*, receptamque tueri, quam *novam*, nec dum satis exploratam, non sine *periculo*, & procul *necessitate*, admittere.

§. XIV. Quo ipso non vera nobis *libertas* eripitur, quam constat, cum moderato legum imperio posse consistere, sed *licentia* circumscribitur, & pruritus novandi omnia coercetur, atque id efficitur, ne, quem prætexunt maleferiata ingenia, *prophetandi libertas*, in horribilem quendam, & veritati exitio futurum, *Libertinismum*, degeneret.

§. XV. Atque hoc quidem casu recte urgemus *Oraculum Petri Apostoli*, negantis, ullam Prophetiam esse *ιδίως ἐπιλόσεως*, vel privato ausu, consilio, & ingenio susceptæ interpretationis. Quem locum, postquam veteres, *Lutherus*, germanique ejus discipuli, novaturientibus ingeniis non semel opposuerunt, nunc demum in *Academia Julia* surrexit, qui eundem longe aliter accipi, & intelligi oportere contenderet. Negat enim, h. l. agere Apostolum de *Scripturæ interpretatione*, quam sententiam & studiose impugnat, & petulanter admodum insectatur, nec sine contemptu, *obtusum Petri gladium*



*dium* semel, iterumque, ac sæpius nominat; sed agi de *promissionibus divinis*, in V. T. populo Judaico datis, quæ irritæ reddi, destrui, aut infirmari non possint, sed potius plenissime, exactissimeque implendæ sint, donec e caligine miseriarum emergat, & ad lucem perpetuæ felicitatis perveniat.

§. XVI. Quam hypothesein attenta textus, totiusque capitis, consideratio refutat. In hoc enim non agitur de *promissionibus* divinis, earumque *immota certitudine*, (nisi obiter, & in transcurfu de *promissione gratiosæ novæviæ cum DEO v. 4.*) sed potius de *Scriptura Canonica*, *divinaque illius origine*, & *necessaria per Apostolum amplificatione*. Huc enim redit scopus: Etsi jam sciant Christiani, ad quos scribebat Petrus, quæ scire debeant & in veritate sint confirmati: nolle tamen se intermittere, eos semper, ac perpetuo commonere, de iis, quæ jam audierint, & acceperint ab Apostolis v. 12. Commonere igitur eos se velle, dum vivat, hoc magis, quod se humanis rebus non diu interfuturum prævideat. v. 13. 14. Quin & se velle commonere illos post mortem, relinquendo *Canonicæ auctoritatis epistolam*, cui eos hoc facilius fidem habituros confidat, quia non humano ingenio excogitatas fabulas, sed divinitus, & sine medio, revelatam veritatem cum iis communicarint. v. 15. Neque tamen ob novi Canonis accessionem veterem oportere contemni, aut *Scripturis Prophetis* fidem & auctoritatem negari. v. 16. Hunc enim non modo perinde firmum ac stabilem, sed & quodammodo firmiorem esse *Apostolorum scriptis*, quatenus usû & experientia, multorumque seculorum, & hominum, suffragio comprobatus sit. v. 19. Huic igitur quod attendant, recte fieri, quia sit instar lucernæ in loco caliginoso lucentis, & omnes intellectus humani tenebras dispellat, usque dum Christus, spiritualis Phosphorus, pleno jubare in eorundem cordibus oriatur. v. 19. Illud tantum  
reli-



relictis omnibus eos meminisse debere, quod nemo debeat Scripturas, pro suo ipsius ingenio & arbitrio, explicare, idque ideo, quia non sit hominis voluntate allata Prophetia, sed locuti sint sancti DEI homines, impulsivi a Spiritu Sancto, qui, ut auctor Scripturæ præcipuus fuerit, ita etiam pro vero illius interprete debeat haberi, ut adeo Scripturam per Scripturam interpretari, & Spiritum Sanctum potius in Scriptura loquentem, & seipsum hinc inde explicantem, quam nos, geniumque nostrum, audire debeamus, nisi velimus planam corrumpere veritatem, & Pseudo-Prophetarum exemplo, exitiabiles errores invehere in Ecclesiam. v. 20. 21. Cap. II, 1. seq.

§. XVII. Hunc scopum esse, & summam, sermonis Apostolici, nemo negaverit, qui animo perturbationibus vacuo, & veritatis cupido, textum inspexerit. Nihil hic de *promissionibus auxilii divini*, quæ partem Scripturæ, non totam Scripturam constituunt: nihil de miseriis, & calamitatibus piorum, quibus e promissionibus petenda solatia debeant opponi. Sed agitur de *Canone Scripturæ*, ejusque *necessitate, incremento, divina origine, & auctoritate*, ac denique *seipsam interpretandi facultate*.

§. XVIII. Peccat igitur *Helmstädiensis Censor*, quod per λόγον προφητικόν intelligit promissiones Propheticas de pace, solatio, præsidioque divino. Ita enim scribit p. 27. *Validissimum dicit Propheticum pro liberationis spe suffulcienda sermonem, quem apertissimum simul vocat, quem in Vita tenebris velut lucem jure inspiciant, tutoque sequantur, ex calamitosa hac vita certo emerfuri, tanquam ex morte in diem &c.* Et p. 72. *Nihil manifestius pro scopo, pro rei conditione, pro styli concinnitate, ac consuetudine, Petrum Propheticarum pollicitationum incorruptum robur, intemeratam vim, immutabilem valorem, usque ad complementum indivisibilem durationem, & indubitatum eventum*



*hic designare. Cæcus sit, qui tam claram non pervideat lucem.*

§. XIX. Etsi vero nec cœcitiā, nec oculos de industria claudam, in tanta tamen sententiæ adversæ caligine, admotis etiam perspicillis, lucem pervidere non possum. Etenim quæ nos urget necessitas, ut (1.) λόγον προφητικόν de tota Scriptura intelligendum, restringamus ad partem, pollicitationes nimirum Propheticas, de auxilio, solatioque divino? An non ipse textus id docet, λόγον προφητικόν, & προφητείαν γεγραφῆς, h. e. προφητείαν γεγραμμένην, inter se permutari, & esse synonyma? Atqui tota S. S. Veteris Testamenti dicitur *Propheta scripta*, partim quia a Prophetis in literas est relata, partim quia *sermone Prophetis proprio*, i. e. Ebræo, est tradita, partim denique, quia tota Scriptura V. T. nihil est aliud, quam constans & perpetua Evangelii de Christo explicatio, cujusmodi explanatio etiam in Scriptura N. T. προφητεία dicitur 1. Cor. XIV. & alias. Per sermonem ergo Propheticum, ea omnia h. l. significantur, quæ extant in Mosè, & in Psalmis, & in Prophetis, non autem, solæ pollicitationes Propheticæ, de piis e miseriarum squalore, & caligine liberandis. Cetera quoque textus id comprobant. Illud enim (2.) haud dubie per λόγον προφητικόν, intellectum voluit Petrus, cui, luminis divini hauriendi ergo, attendere debemus. Toti autem Scripturæ attendere debemus, quandoquidem omnis Scriptura Θεόπνευστος, est quoque utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia, ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum perfecte instructus 2. Tim. III, 17. E. tota S. S. hic intelligitur per sermonem Propheticum.

§. XX. Non est, cur hic adversarius aliquod in voce βεβαίωτερος præsidium quærat, utpote, quæ firmitatem, & certum



certitudinem notet, divinis promissionibus propriam. *Contextus*, inquit, *luculentissime docet*, quod jam dixerat Petrus, v. 19. *Sermonem Propheticum esse βεβαιον, firmum, idem hic ratione confirmari: Propbetia tam firma, ut elidi non possit, aut eludi: quia divina.* p. 73. Non enim solis promissionibus, sed tota scriptura ἡ βεβαιότης competit, unde & de illa, ἑλικῶς sumpta, dicitur, quod nequeat λυθῆναι, Job. X, 35. quem locum nostro παράλληλον esse, ipse adversarius fatetur p. 31. Postremo (3.) id omne λόγος προφητικῆ nomine appellatur, quod μύθοις σεσοφισμένοις, seu *fabulis ingeniose excogitatis*, opponitur. Quod omnino non de solis promissionibus, sed tota scriptura V. T. est intelligendum.

§. XXI. Nec illud probare possum, quod statuit, per ἀυχμητὸν τόπον, *calamitates, & miseras hujus vitæ, per auroram vero, & lucem, pacem, & securitatem, quæ per pollicitationes sint expectanda*, intelligi oportere. p. 21. & 26. Ut ut enim non negemus, miseras aliquando caliginis nomine in Scripturis venire: nullibi tamen, quod sciamus, caliginosi loci. Et vero Petrus perspicue docet, caliginem non in mundo, aut hominis conditione, & statu externo, sed corde quæri oportere. Ubi enim lucifer oriri debet, ejusque opus est ortu, ibi quoque est collocanda caligo. Lucifer autem oriri debet in corde ac mente: Ergo & caligo intelligitur hujusmodi, quæ est pectoris, ac animi. Quod si quis, τὸ ἐν ταῖς καρδίαις, referre ad τὸ προσέχοντες, quam ad Φωσφόρον malit, quod memini facere nonnullos, ita recte intulerim: *Ulicunque, & per quodcunque, homines attendunt ad Scripturas, ibi quoque, & per id, cadit in eosdem caligo. Atqui vero in corde, ac animo homines attendere debent ad Scripturas.* E.

§. XXII. Dixeris: tristitia e calamitatibus oriunda etiam est in corde, animoque quærenda. Sed respondemus (1.)



Toto hoc in capite ne γρῦ quidem legitur de *miseriis*, aut *calamitatibus*, eisque opponendis promissionibus, & ex promissionibus derivandis solatiis, sed de *causis novæ adornatæ epistolæ*, *extensivæ Scripturæ Canonis*, *hujusque adeo auctoritate, natura, & origine divina*. Cur igitur illud caliginis, & lucis intelligetur nomine, quod cum scopo dicentis, totoque contextu, conciliari non potest? Deinceps (2.) nullibi in Scripturis *solatia*, mœrori tristitiæque opposita, *phosphori* nomine salutantur: Verum *Luciferi* nomine, vel clarissimus *Monarcha*, ut *Nebucadnezar*, *Jes. XIV, 12.* vel ipse *Christus* venit, ut *Apoc. XXII, 16.* Et ut *Lucifer* naturalis non *plena* lux est, sed *plenioris sponfor*, ac *prodromus*; sic *spiritualis*, qui h. l. intelligitur *Φωσφόρος*, non potest *plena* lux esse, vel *solatium*, & *auxilium*, sed id, quod *solatium* affert, & *auxilium* præstat, significare. Quod si igitur fingamus, *λόγον προφητικόν* h. l. notare *promissiones Evangelicas*, sequetur, has non afferre *solatia*, sed *solatorum origines*, ac *causas*, vel etiam *procursores*, siquidem *Christiani* jubentur, eo usque attendere *sermoni Prophetico*, donec *phosphorus* in eorum *cordibus* oriatur. Quanto satius fuerit, *receptæ inhærere sententiæ*, & per *lucernam* intelligere *Scripturam* in officio *illuminationis* consideratam. Quicquid enim ad τὸ προσέχειν *immediate* sequitur, illius respectu h. l. *Scriptura* comparatur cum *lucerna*, in loco *caliginoso* lucente. Consequens enim de *antecedente* testatur. Atqui non *liberatio ex angustiis*, vel *consolatio* in *miseriis*, ad τὸ προσέχειν *immediate* sequitur, sed *illustratio mentis*, & *spiritualium tenebrarum dispulsio*. Hujus ergo, non illius respectu *Scriptura* cum *lucerna* confertur.

s. XXIII. Hæc *lucerna* *Petro* dicitur ἐν *αὐχμηρῷ τόπω* seu in *loco caliginoso* lucere. *Αὐχμηρὸν* *Græci* explicant per *ῥυπαρὸν, ῥυπῶδες, σκοτεινόν*. Et *αὐχμηρῶν*, *Svidæ* est, *ῥυπαρὸν εἶναι*.

Notat



Notat igitur *ἀνχυσὸς τὸ π* locum, ob subtractos solis radios, & oriundam inde caliginem, perpetuo squalidum, fœtore ac sordibus plenum. Quæ uti ad misérias, & calamitates trahi posse, non nego, ita Philologus per *ἀνχυσὸν τὸ π* intelligit *presentem miseriam, & calamitatem, in ancipitibus fatis, idque stylo omnium Prophetarum. p. 25.* At enim vero *tenebræ, & caligo* sæpius etiam in Scriptura sumuntur, non pro *miseria*, sed *ignoratione*, ita, ut in *mente* hominis, non *statu* ejus *externo*, aut *fortunis*, quærenda sit. Quid clarius illo Servatoris Oraculo: *Si lumen, quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? Matth. VI, 23.* Et illo Apostoli: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux estis, in Domino. Eph. V, 8.* At inquires, Petrus loquitur de sermone Prophetico, ergo & usus est istis vocabulis stylo Prophetico. Sed enim, qui loquitur de scriptis Prophetis, is non necessario de iis genere sermonis Prophetico loquitur. Nam & Jesaias alibi loquitur de *re rustica*, ut *c. V, 1. seq.* nec tamen stylo *rustico* utitur. Deinceps (2.) nihil frequentius est Prophetis, quam ut vocabula *caliginis, noctis, tenebrarum* ad insinuandam *mentis cæcitatem, errorem, & ignorantem* adhibeant. Sic tenebras interdum ostendere, est, in rebus etiam evidentissimis errare *Jobi V, 14.* In tenebris palpare deficiente luce, est, omni salutari consilio destitutum errare. *c. XII, 25.* Tenebras opponere semitis alicujus, est errores alicui propinare, & facere, ut alter suis in consiliis & actionibus impingat. *c. XIX, 8.* Judicare, quod est in caligine, idem est, quod judicare occultum *c. XXII, 13.*

§. XXIV. Sigillatim vero tenebræ ponuntur pro ignorantia DEI & rerum cœlestium *Jes. LX. 2. Jo. III, 9. XII, 35. Act. XXVI, 18. 1. Theff. V, 1. Jo. II, 8.* Hinc mens hominis per lapsum corrupta, & salutari DEI cognitione destituta, nomine *tenebrarum* intelligitur *Jo. I, 5.* & gentes vocantur *tenebræ*, i. e. veræ



veræ DEI notitiæ expertes *Ephes. V, 8.* ac eandem in sententiam dicuntur habere mentem tenebris obscuratam *c. IV, 18.* seu cor tenebris involutum *Rom. I, 21.* Denique, qui versantur in errore, ac ignoratione veri DEI, hi dicuntur esse in tenebris *cap. II, 16.* positi esse in tenebris *Luc. I, 79.* manere in tenebris *Jo. XII, 46.* ambulare in tenebris *VIII, 12. XII, 35. 1. Jo. II, 1.* Contra vero illi, qui vera, & salutari DEI cognitione imbuti sunt, hi dicuntur non esse in tenebris *1. Thess. V, 4. 1. Jo. II, 9. II.* Quæ cumulatissime citata loca ostendunt, caliginem, ac tenebras, & locum caliginosum cum Prophetis in Veteri, tum Apostolis in N. T. non modo *miserias, & statum calamitosum,* sed &, idque frequentius, *errores, & mentem ignoracione rerum omnium laborantem, significare.* Quid igitur obstat, quo minus etiam hoc in Oraculo per *locum caliginosum* intelligamus *mundum,* luce veritatis Evangelicæ destitutum, in eoque mentes erroribus & ignorantia laborantes, beneficio Verbi DEI, tanquam lucernæ spiritualis, ad veram, solidamque rerum divinarum notitiam perducendas? Illud addo: *ἀνυχμῆδὸν* idem aliquando esse, quod *ἐρηρὸν,* aridum, & *στυγρὸν,* i. e. triste ac tetrum. Quod utrumque ad illustrandum mentis humanæ statum apprime facit. Nam & Spiritus immundus dicitur vagari per loca *arida* *Luc. XI, 24.* h. e. corda, e quibus nullus fons vitæ, hoc est fidei, & pietatis, vel etiam donorum Spiritus sanctificantium, fluit, *conf. Job. VII, 38. Job. XII, 3. Ebr. VI, 7.* Et mentes reatu peccatorum oppressæ, nec ullo gratiæ solatio recreatæ *tristes* sunt, ac *tetricæ,* perpetuisque velut nubibus obtectæ, quo sensu cœlum *στυγρᾶλεν,* dicitur, *Matth. XVI, 3. conf. Jes. XL, 1. c. LXI, 2. 3. Hagg. II, 8. Matth. IV, 16.*

S. XXV. Per *ἡμερᾶν* h. l. *pacem, ac prosperitatem,* qua tenebras *miseriarum* sit *secutura,* intelligit Adversarius.

Ita



Ita enim scribit p. 25. Apostolus *pro solatio in hujus vite caligine, longæ velut noctis umbra suggerit bonis spem salutis, serenitatis certo secutura, instar orientis tandem diei, ab obscura nocte presidio promissionum divinarum in Prophetis, quia sint instar candele, quæ in noctis caligine ardeat, ad diei usque & aurora ortum &c.*

§. XXVI. Intelligit ergo per *diem*, serenitatem fortunæ, prosperitatem & pacem. Nec infitias iverim, Veterum, juxta & recentiorum, aliquos ἡμέραν accipere h. l. pro ultimo illo, censorioque die, quem nonnunquam τῆς ἡμέρας nomine simpliciter in Scripturis venire novimus. Sed enim (a) Aristarchus noster non felicitatem æternam, quæ cum die supremo initium est sumptura, intelligit: alioqui enim gloriari non posset, quod hujus oraculi interpretationem novam & hucdum inauditam dedisset; Verum intelligit, ut ipse loquitur, serenitatem fortuna, & temporariam felicitatem, quæ vi promissionum divinarum sit exceptura miseriam in hoc mundo. (b) Quando vox ἡμέρα ultimum diem notat, majoris ἐμφάσεως causa articulum habet præpositum, ut Apoc. VI, 17. ἡμέρα ἡ μεγάλη. Et 1. Cor. III, 13. ἡ ἡμέρα δηλώσει. Dies ille manifestabit, quod B. Gerhardus ad h. l. observat. Verum, quod non desunt exempla contraria, malim urgere, (c) quod ea de die loquatur Apostolus, quæ illucescere debeat in cordibus Christianorum, quod de die extremo commode dici non potest. Et quoniam adversarius τὸ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν mavult ad τὸ προσέχοντες, quam ad τὸ διαυγᾶσαι referre, addimus, (d) quod non obscure docet Apostolus, eò de die loqui sese, ad quem usque illi vitam sint perducturi, ad quos scribebat. Norat autem Petrus, tam propinquum non esse diem ultimum, ut ad eum usque perventuros esse Christianos illorum temporum credere posset. Per diem ergo,

C

vel



vel *ἡμέραν*, diem præcise novissimum, cum eoque expectandam æternam felicitatem ac salutem h. l. non intellexit Petrus.

§. XXVII. Sed nec *temporariam felicitatem*, pacemque, ac fortunæ serenitatem, illo vocabulo notavit. Urget hic quidem p. 25. perennem Scripturæ consuetudinem adversarius. *Aurora*, inquit, *lucique Orienti assimilat, perenni Scripturæ consuetudine, fortunæ serenitatem, prosperitatem, pacem, tranquillitatem desideratam affulgentem, vitamque beatiorē, ab omni calamitate remotam.* Fateor quoque hanc vocis *dies* significationem alicubi obtinere in Scripturis. Namque & Propheta in *Lament. c. V, 21.* postulat a Deo renovationem *dierum pristinorum*, i. e. priscae felicitatis: & ipse Liberator *Luc. XIX, 42.* tempus gratiæ, quo omnem beneficiorum suorum cumulum, atque adeo seipsum, Civibus Hierosolymitanis obtulerat, nominat *ἡμέραν*. Sed enim tantum abest, ut dare possim, hanc *perennem esse Scripturæ consuetudinem*, ut potius monendum mihi esse videam, eam significandi rationem *rarissulam* esse, & multo esse frequentiore eam, qua ponitur *pro tempore multo tristissimo*, ac prorsus conclamato, quando nempe quis a Deo severissime punitur, & castigatur. Itaque dies *Ægypti* dicitur tempus, quo magnis plagis percussa fuit a Domino Israelitas ex ea educturo *Jes. XXX, 9.* & dies Hierosolymorum, tempus quo everfa fuerunt a Babyloniis *Pf. CXXXVII, 7. Lament. IV, 18.* conf. *Pf. CXVI, 2. CXIX, 84. Jes. IX, 4. XIII, 22. Jer. XXV, 34. L, 27. 31. Ez. XXI, 30. 34. XXII, 4. Osee I, 11. Obad. 12. Miche VII, 4.* & forsan plura sunt Scripturæ loca, in quibus vox *dies* significat *poena tempus*, ut adeo Aristarchi opinio per se corruat, eandem *perenni scripturæ consuetudine* serenitatem fortunæ, pacem & tranquillitatem, notare.

§. XXVIII.



§. XXVIII. Propius ad institutum facit, quod *dies* significat *accensum in animo lumen*, vel *notitiam* in mente. Uti enim diurno tempore omnia & facilius, & certius dignoscuntur, & lux meridiana omnia ostendit, manifestat, & aperit; sic in Scriptura dies non raro notat *ampliolem notitiæ gradum*, quo vera a falsis, explorata ab incertis, solida a speciosis discernimus. Opponitur enim *nocti* ac *tenebris*, quæ cum, ut supra docuimus, sigillatim *Dei*, ac rerum divinarum *ignorationem* significant, hinc *lux*, hujusque Synonymum, *dies*, notat cognitionem Dei veram ac solidam, utpote *Jes. LX, 3. Act. XXVI, 18. 1. Petr. II, 9. 1. Jo. II, 8.* Unde lux ei oriri, vel is *in luce versari* dicitur, *Matth. IV, 16. 1. Jo. II, 9.* qui vera & salutari Dei notitia fruitur. Ad eundem modum *filij lucis* vocantur, qui vera Dei cognitione imbuti sunt, & ambulare *in luce* Dei *Jes. II, 5.* seu ambulare ut filij lucis, *Ephes. I, 8.* dicuntur, qui secundum haustam e verbo Dei notitiam, vitam instituunt. Quin & *arma lucis* vocantur bona Opera, quia veram Dei cognitionem sequuntur, ex eaque fluunt: & Liberator noster dicitur *lux vera Jo. I, 9.* & lumen gentium *Luc. II, 32.* quia per prædicationem verbi homines ad salutarem Dei notitiam fuerat perducturus. Hac ipsa de causa novi foederis tempora diei nomine veniunt *Rom. XIII, 12.* & Christiani dicuntur non modo *filij lucis*, sed etiam *diei 1. Thess. V, 5. Luc. XVI, 8. Jo. XII, 36.* ob ampliolem notitiæ gradum, quem homines, misso jam in carnem Messia, sunt consecuti.

§. XXIX. Atque hanc quidem significandi rationem nostro cum primis Oraculo convenire, ex ipsis textus visceribus poterit demonstrari. Eo enim de *die* loquitur Petrus, qui (1.) tenebris & caligini mentis, seu rerum divinarum in mente hominis ignorantia, (hanc enim hic notare locum caliginosum, supra ostendimus,) opponitur. (2.) Qui post τὸ

C 2

περὶ-



προέχεν Scripturæ *immediate* sequitur, & tanquam hujus scopus & effectus attenditur. Denique (3.) qui ortum Phosphori spiritualis i. e. gratiosam Christi per fidem inhabitationem, *immediate* præcedit. Quæ omnia non ad, nescio quæ, *solatia*, vel singularem *fortuna serenitatem*, & pacem, sed ad uberio-rem DEI, & rerum divinarum notitiam possunt accom-  
modari.

§. XXX. Respondet huic interpretationi vox ΦωσΦόρος, quam utut nonnulli positam esse arbitrentur pro *luce ipsa*, metonymico sensu, quum ipse sit signum, & antecedens lucis: quo minus tamen huic sententiæ applaudam, illud me movet, quod h. l. ΦωσΦόρος, post diem seu ἡμέραν, est positus, quum tamen, ordine naturæ, Phosphorus non sequatur, sed antecedit, diem. Cumque alias soleat Scriptura subob-  
scuris *clariora*, explicationis ergo, subjicere, videri poterat h. l. *clariori minus perspicua* subjecisse, quandoquidem multo facilius est, hominis illuminationem cum die, quam cum *phos- phoro*, comparare, quandoquidem lucifer naturalis nunciat quidem, & pollicetur lucem, ipse tamen *diurnam* lucem non præstat, adeoque *sponsor* est *futuri*, non *portio præ- jentis*.

§. XXXI. Malim ergo accipere simpliciter de *Christo*, partim quia seipsum diserte nominat αἰσῆσα θεοθενόν, *Apo- c. XXII, 16.* partim quia lucem afferre nulli melius competit, quam ei, cui lucis & acquisitionem, & immissionem, & immis-  
sæ multiplicationem, h. e. incrementa notitiæ, & uberiores luminis divini gradus debemus. Hic igitur tunc in cordibus nostris *oriri* dicitur, *quando* vel lucis Evangelicæ jam ante per mundum disseminatæ, & ipsi firmus compotes, vel quando copiosiores *notitiæ radii per gratiam inhabitantem spargun- tur.* Atque ut hoc pacto *spiritualem a morte resurrectionem*,  
ipsam-



ipsamque adeo *renovationem sequitur Ephes. V, 14.* ita hujus Phosphori ortus h. l. post *diluculum*, vel *initia diei* rectissime collocatur, quum per *gratiam operantem*, ut loquimur in scholis, *tantum* illuminemur, *quantum* ad concipiendam fidem in Christum, & obtinendum gratiæ statum sufficit, *incrementa* vero *notitiæ* in *statu*, ac durante *inhabitationis gratiæ*, demum obtineamus.

§. XXXII. Tandem vero nobis est deveniendum ad illud, in quo hæc omnis prope causa vertitur, nempe ad considerationem *ιδίας ἐπιλύσεως*, quam h. l. relictis omnibus tenendam esse docet Apostolus. Adversarius Petri verba sic accipit pag. 27. *Immotam spei ex Prophetis Oraculis certitudinem, figuris abunde illustratam, ac commendatam confirmat porro ratione invicta, intrinseca ac nativa propheticarum promissionum indole & natura: Prophetica nempe promissa esse immutabilia, constantissima, perrennia, irrefragabilia, quæ mutari, infringi, everti, aut irrita reddi nullo modo possint. Qui probe, inquit, ante omnia memores esse debetis, τὸ πρῶτον γινώσκοντες, quod omnis scripturæ prophetia, omnis promissio a Prophetis in literas relata, omnis vitæ & salutis pollicitatio, non sit ιδίας ἐπιλύσεως suæ dissolutionis, sit indissolubilis, immutabilis, quæ nullo modo irrita reddi aut eventu frustrari possit, nulli mutationi obnoxia, indubitabilis, inviolabilis. Quod propheticarum promissionum elogium, constans illarum commendat robur certitudinem immotam & indubitatum eventum, indissolubilem earum esse constantiam & infractam perseverantiam, quæ non possint non suo tempore impleri. Verba λύειν, καταλύειν, ἀπολύειν, διαλύειν, ἐπιλύειν, λύσις, κατάλυσις, ἀπόλυσις, διάλυσις, ἐπιλυσις, nunquam notant interpretari, sed usu veteri solenni, absolvere, solvere, dissolvere, disturbare, dissipare, abjicere, finire, perdere, evertere, refutare, e medio tollere, pef-*

C 3

funda-



*sundare, in nihilum redigere, irritum reddere, abolere. Quae nativa vocum significatio, scopo, contextui, & affectui Apostoli unice hic congruit. Recipit quoque sese ad τὸ καταλύσαι, quod de Mose ac Prophetis Matth. V, 17. 18. & imprimis τὸ λυθῆναι quod de tota Scriptura S. Job. X, 35. negetur, atque hunc posteriorem locum nostro παράλληλον esse contendit p. 29. Negat denique ac pernegat, ἐπίλυσιν accipi posse, de interpretatione, eandemque ab ἐξηγήσει ἢ ἐρμηνεία sollicite oportere distingvi, existimat. Videndum igitur est, quam vim significandi habeat vox ἐπίλύσεως.*

§. XXXIII. Est vero in explicatione locorum ad duo potissimum attendendum. Primo, quid hæc vel illa vox *extra contextum* significare possit, & aliquando soleat. Deinceps quid *hic*, atque *nunc*, *actu ipso*, pro ratione contextus significet, &, de voluntate auctoris, significare debeat?

§. XXXIV. Atque hic quidem non diffitemur, vocabula λύειν, καταλύειν, ἀναλύειν, reliqua, notare posse, & alicubi actu ipso notare, *solvere, dissolvere, destruere, dissipare, irritum reddere, infirmare, finire* &c. nec opus fuisset, e profana illud literatura tanto labore, studioque ostendere, quum id nemo unquam vocarit in dubium. Interim nec illud, salva veritate, negari poterit, vocabulum ἐπίλυειν, & posse, & aliquando *actu ipso* notare *interpretationem*, & respondere τῇ ἐξηγήσει, vel declarationi, & uberiori deductioni. Quod ipsum partim e *profanis*, partim *sacris* literis ostendemus.

§. XXXV. Scilicet ἐπίλυειν, post alia, notat *dirimere, solvere, resolvere*, & æquipollet fere suo simplici, τῷ λύειν. Hoc ipsum vero nunc *proprie*, nunc *improprie* sumitur. *Proprie* quidem pro solutione *nodorum*, aut vinculorum, *proprie* sic dictorum, cujusmodi deprehenduntur in *jugis, nexis, vinculis, epistolis, libris, criminibus*. Hinc Græcis λύσαι ἀπὸ ζυγῶ:  
λύειν



λύειν τὸ σῶμα. Et Latini dicunt *solvere epistolam*, quum vincula eidem laxantur, ut loquitur Nepos. ἀναλόγως tribuitur *corpori*, quod tunc λύεσθαι, & παραλύεσθαι dicitur, quum flaccescunt nervi, nodique membrorum, & commissuræ ossium laxantur. Quid enim sunt articuli corporis, quam vincula membrorum, quibus tota continetur compages? Hinc λελυμένος aliquando pro paralytico ponitur, & Homerus scribit: λελύσθαι γόνατα, quemadmodum & Virgilius: *solvuntur membra stupore*. Aristoteles autem in Ethicis resolutas corporis partes, nominat παραλελυμένα τῷ σώματος μόρια. Dicitur quoque τὸ λύειν, & ἀναλύειν de *navibus* apud Græcos, & apud Latinos non modo dicitur *solvere e portu*, sed & simpliciter *solvere navim*, quando laxatis, in quibus antea tenebatur, anchoris, mari ac vento committitur, quum *anchora* omnino sint *vincula*, quibus naves cum terra, vel continente, junguntur.

§. XXXVI. *Improprie* sumitur pro solutione *vinculorum improprie sic dictorum*, utpote *foederis, religionis, amicitia, fœmni, servitutis, reatus, corporis, & animi*, quibus omnibus λύσις, ἀνάλυσις, διάλυσις &c. tribuitur. Itaque λύειν πᾶδα, λύσασθαι ἀιχμαλώτης apud Demosthenem idem est, quod *redimere* puerum, vel captivos. Et Aristoteli λύσις usurpatur pro *expiatione, liberatione a reatu*, quo ipso reipublicæ quis obligatur ad poenam. Latini dicunt: *solvere reatum: solvi religione: legibus: jurejurando. Persolvere promissum: es alienum: exsolvi religione: absolvi crimine* &c. quia in his omnibus vinculum aliquod, & nexus intercedit. Sigillatim dicitur de *intricatis, & nodosis questionibus, controversiis, parabolis, æigmatibus* &c. Quid enim ea sunt aliud, quam *compedes quædam, vel menti*, quo minus libere assequatur sententiam, vel *verbis*, quo minus libere sententiam expriment,



mant, vel denique *sententia ipsi*, quo minus libere, in captum hominis influat, injectæ? Hinc Græcis λύειν τὸ ἀνίγμα, ἀνεῖραι, νέμειος. Latinis: *exolvere nodum erroris*, Livius dixit. Et olim, quod ipse adversarius affert, inter sapientes ἐπιλυτικοὶ dicebantur, qui norant quæstiones nodosasolvere. Eodemque sensu adhibuisse Scriptores Sacros, mox ostendetur. Latine τὴν ἐπιλυσιῶν commodissime reddideris per *EXPLICATIONEM*. Quot enim se nobis objiciunt *δυσνόητα*, tot nobis quasi tricæ, plicæque sunt evolvendæ. Quando igitur *improprie* dicta vincula, quocunque id fiat modo, detrahuntur, vel *animo*, vel *verbis*, vel *rebus*, tum vero illa nunc λύεσθαι, nunc ἐπιλύεσθαι dicuntur.

§. XXXVII. Hoc ipsum autem vel maxime fit in *declaratione*, vel *interpretatione* locorum. Hæc enim, si recte consideretur, est *investigatio*, ac *eruitio sensus*, quem interpretando assecuti sumus, quando conceptus nostri respondent conceptibus sermonis, aut scripti, quod interpretamur. Atque ut hæc ipsa investigatio nonnullo cum labore, ac studio est conjuncta, sic eadem nihil opus est iis in locis, quæ ob summam perspicuitatem verborum, sententiam eorum cuius facile propinant. Quid enim opus est splendenti soli lumen accendere, aut ea declarare velle sollicitè, quæ sua jam luce radiant, omniumque velut legentium oculos perstringunt? Unde & sapientissimum quemque interpretem ab explanatione locorum in se clarissimorum sponte sua abstinuissè videmus. Nisi forte, laxato vocis usu, *interpretationis* nomine comprehendere velimus, qualemcunque σύγκρισιν, & collationem locorum Scripturæ, de qua inferius dicemus. Rigida vero, primarioque sic dicta interpretatio, *solvit nodos*, *removet dubia*, *dirimit controversias*, *illustrat obscura*, *definit ambigua*, *explicat intricata*. Quotquot enim textus difficultates, nodos, ambiguitates &c. continet, tot veluti *vinculis* illius detinetur senten-



sententia, quo minus libere in captum hominis influat. Quibus omnibus quia expedit eum, solvitque interpretatio, rectissime, verissimeque Græcis salutatur ἐπίλυσις.

§. XXXIIX. Atque hoc significatu alias quoque reperitur in Bibliis. Mitto locum *Eccl. VII, 31.* in quo λύσις ῥήματος manifesto significat explicationem verborum: mihi ad asserendam receptam sententiam satis est, quod hoc ipso significatu legitur *Marc. IV. & Act. XIX.* Non poterat hæc ignorare Noster, quapropter id magno conatu egit, ut utrumque locum, clarum alioqui, ac luculentum, suam ad sententiam detorqueret. *Incidit*, inquit, *verbum ἐπίλυειν, ἐπιλύειν in N. T. bis alibi, nec interpretandi, sed eodem dissolvendi, absolvendi, finiendi, expediendi, tollendi, auferendi sensu.*

§. XXXIX. Sed enim, ut ordine Censoris inverso, de loco, *Marci IV, 34.* primum exponam, ipse adversarius fateatur, *parabolas* a Servatore adhibitas nihil aliud fuisse, quam *arguta sermonis vincula, & nodos*, quibus alias sententiam in publica Oratione ligarit, ac implicarit, solverit autem deinceps, & cum plana & simplici oratione commutaverit Christus. Quod vero de parabolis statuit adversarius, eas nimirum *arguta sermonis vincula* fuisse, idem dixerim de omnibus subobscuris dictis, & nonnulla difficultate implicitis. Quæ quoniam ab interprete remouentur, & plano, simplici, liberoque sermonis genere redduntur, ita ut pro subobscuris *dilucida*, pro dubiis certa, & *explorata* ponantur, annon vel suo ipsius judicio convictus est adversarius, interpretationem esse ἐπίλυσιν?

§. XL. Quando igitur Christus parabolas, quibus ad populum usus fuerat, repetiit apud discipulos, sic tamen, ut singulis, quæ aliquid in recessu habere videbantur, suas veluti glossas, & commentationes adjiceret, & quid e. c.

D

per



per *seminantem*, per *semen*, per *agrum*, per *Zizania*, per *petram*, *seses*, *spinasque* intelligi vellet, aperiret, suisque ad eo integumentis cuncta evolveret, ac explicaret, procul dubio interpretatione quadam perfunctus est, in qua parabola ipsa pro textu, privata commentatio & glossa, pro ἐξηγήσεις fuit. Cenfor ipse, sui non satis memor pag. 34. coram Judæis, inquit, *Christus implicate dicere sœvit, tecte sub figurarum umbris, parabolis usus, & enigmatibus, oratione arguta, NB. velut ligata: verum privatim apud discipulos, misit illa, abstinuit ab omnibus istis, explicite, & plane atque perspicue disseruit, sermone usus familiari, a figuris libero &c.* Quid autem aliud est interpretari, quam implicita explicare, aut quid præstat interpres, quam quod latentem in verbis sensum eruit, protrahitque in lucem, & plane perspicue edisserit, quæ antea videbantur dubia & incerta.

§. XLI. Frustra I. c. subjicit adversarius: *In privatis eloquiis enigmata omnia dissimulavit, intermisit, seposuit, non adhibuit, aperte & dilucide omnia pronuntiavit, quæ dixit. Non, quod Christus ordinarie omnes figuras quibus in colloquiis cum Judæis usus, privatim repetisse dicatur, explicuisse, & illustrasse, quod infiniti fuisset laboris, & operæ inexplicabilis, nec absolvende: Unde, si illud alicubi poscere viderentur discipuli, indignabundus vix, ac ne vix quidem indulsit Matth. XV, 16. Marc. VII, 17. Sed, quod in privatis discursibus seposuerit, liquerit, miserit grandiores tales figuras.* Frustra, inquam, hæc omnia dicuntur.

§. XLII. Vocabulum enim ἐπιπέδον est ex eorum numero, quæ referuntur ad aliud, quoniam omnis solutio respicit ligatum, vel ut ipse adversarius pag. 36. loquitur, *ubi solutio, ibi obligatio est.* Neque id non insinuat Marcus, qui manifesto docet, non alia Christum foris, & publice, alia domi, &



& *privatim* dixisse, vel alia atque alia, alio atque alio genere sermonis dixisse, adeoque, cum *ratione docendi*, res ipsas & *argumenta* mutasse: quin eum potius, quæ foris in parabolis, καὶ ὡς ἐν ἀλληγορίαις tradiderit, *eadem illa*, & non alia, deinceps domi clarius, magisque perspicue docuisse. Est, Latinis τὸ solum accipi aliquando sensu *absoluto*, & *mere negativo*, non autem *respectivo*, & *privativo*, ut loquimur in scholis, h. e. tali, qui nullam antegressam ligationem, vel vincula includat: Sufficit, quod in Literatura S. τὸ ἐπιλύειν semper cum *objecto* conjungitur, & vincula quædam, vel *nodos*, & ligamenta, supponit. Itaque τὰ πάντα ἐπιλύειν h. l. non idem est, quod a parabolis, obscuris, allegoriis, ambiguis, *abstinere*, ut adversario est persuasum, sed *parabolas evolvere*, *vinculis expedire*, *planiore sermone reddere*, adeoque revera idem, quod *explicare*, *edisserere*, *interpretari*.

§. XLIII. Negat equidem adversarius hæc ipsa: τὰ πάντα, inquit, *non ad præterita, Iudeis dicta, pertinet, sed ad præsentia, a Christo discipulis privatim dicta, ad totam doctrinam. Omnia, quæ a Christo dicerentur discipulis, traderentur, inculcarentur, hæc cuncta solute ac libere, atque dilucide pronunciantur.* Sed, ut non negem, Christum discipulos nonnunquam & alia, quam quæ ad populum dixerit, docuisse, illud tamen e Marci verbis liquido constat, quod nihil ἐν παραβολαῖς publice tradiderit populo, quin *idem illud* privatim exposuerit, & planius proposuerit Apostolis, repetieritque adeo domi publice dicta, & enodarit.

§. XLIV. Parum ad rem est, quod id per brevitatem temporis, & multitudinem parabolarum, quibus, ad populum loquens, usus fuerit Liberator, negatur fieri potuisse. Quotidie enim Christus conversatus est cum discipulis, sed quotidie non fuit concionatus ad populum. Cum Apostolis  
D 2  
domi,



domi, inter prandendum, coenandum, in itinere, terra, mari-  
que, colloqui poterat, cum populo non poterat: certe non  
folebat. Plus ergo ei temporis fuit ad parabolas privatim  
explicandas, quam publicè proponendas.

§. XLV. Quod ipsum, postquam se diffiteri non posse  
intellexit Noster, tandem ad illud se recepit effugium: *inter-  
pretationem esse investigationem, & eruitionem sensus alieni,  
non proprii: ἐπιλύειν autem h. l. manifestissime spectare ad  
evolutionem propriorum Symbolorum, ænigmatum, parabolarum,  
pag. 37.* Quali vero ignorare potuerit pervulgatum illud: *Opti-  
mus interpres verborum quisque suorum est.* Interpretatio est erui-  
tio sensus, sive ille sit proprius, sive alienus. Nihil enim est  
toto die frequentius, quam ut docentes mittamus primo in  
compendium dicenda, & brevibus complectamur sententiis,  
quæ deinceps copiosius edisserere, & quantum quodque habeat  
in recessu, explicare solemus.

§. XLVI. Ast, evolutio tamen ænigmatum, symbolo-  
rum, parabolarum *solutio non est verborum, sed rerum. Verba  
non attenduntur, sed res latentes queruntur. De rebus hic cu-  
ra est, non verbis. pag. 37.* Sed respondemus: (a) λύσις, &  
ἐπιλύσις ipsius adversarii iudicio, sunt Synonyma. Et tamen  
λύσις περὶ τῶν ῥημάτων manifesto legitur *Eccl. VII, 31.* (b) Ver-  
ba rerum sunt vehicula, & signa. Res igitur obscure tradita  
declarari, atque evolvi, nisi verba simul explicentur, non  
possunt. Et h. l. manifesto videmus, quod Dominus ἐν ἐπι-  
λύσει parabolarum singula prope verba, quibus antea in iis-  
dem proponendis usus fuerat, explicuerit. Namque & Palæsti-  
ni juvenes, soluturi ænigma a Samsone propositum, attende-  
runt ad voces, & quid per *fortem*, quid per *dulcedinem* intel-  
ligerent, prodiderunt. Imo vero, quando *scala Jacobæa, & ser-  
pens igneus, agnus paschalis, Melchisedecus, arca foederis, & id ge-  
nus*



nus sexcenta, ad Christum, huiusque officium, & statum accom-  
modantur, annon hoc est rem cum re conferre? Et tamen hoc  
spectat ad interpretationem Scripturæ, huiusque scrutinium  
*Job. V, 39.* Quid multa? Largitur adversarius, ἐπίλυσι proprie  
dici de resolutione enigmatum. Atqui videmus nunc per  
speculum ἐν ἀνίγμασι *1. Cor. XIII, 12.* & quid sunt illa Pauli  
δυσνόητα, de quibus Petrus loquitur *2. Petr. III, 16.* quam ἀπ-  
λυματα? Imo vero, quid tota ἐποικήσις *Johannea*, quam unum  
continuum ἀνίγμα, ut loquitur *Danhauerus in Hermen. S.*  
*pag. 295.* Toti ergo Scripturæ, quatenus hinc inde nonnullis  
laborat difficultatibus, recte vindicatur ἐπίλυσις.

§. XLVII. Instat *p. 38.* Interpretationis & solutionis di-  
stinctissima est natura. Illud orationem, hoc enigmata, para-  
bolas, somnia, intricata, & nodosa oracula concernit. Illud ad  
dialecticam & oratoriam: hoc ad alias plane pertinet disci-  
plinas, vel & artem sublimiorem, non cuius obviam &c. Qua-  
si vero enigmata, parabole, somnia, & id genus, sine oratio-  
ne, & verbis, proponantur. Interpretatio quidem immedia-  
te est verborum, sed, mediantibus verbis, rerum quoque ipsa-  
rum. Quæ quia in verbis, velut in tegumentis quibusdam  
involuta latent, fieri non potest, quin, explicatis verbis, res  
ipsa declarentur. Refert interpretationem ad *Dialecticam* A-  
ristarchus, & recte refert. Sed vero ἀνάλυσις nobilissimam  
esse illius partem, vel ex aureo *C. Martini de analysi materie*  
& forma libello, poterat meminisse. Jam, quum ipsius saltem  
iudicio, λύνει, ἀναλύει, ἐπιλύει, composita reliqua, sint ἰσοδυ-  
ναμῆντα, quo jure id de uno Synonymorum negabit, quod  
de altero concessit?

§. XLIX. Tandem vero de lubricitate sententiæ suæ  
convictus *pag. 39.* fatetur: *Latinis quidem vocem interpretan-*  
*di tam ample sumi, ut utrumque dicendi genus comprehendat,*



tum orationis cujuscunque ordinariam enarrationem, aut explicationem, tum nodorum, enigmatum & somniorum evolutionem: Apud Græcos tamen solers & curatum habetur utriusque discrimen, ut ordinariæ enarrationis nomen sit ἐξήγησις, vel ἐρμηνεία, enarratio, recensio, sed enigmatum & somniorum extricandorum character, ἐπιλυσις, solutio, nodorum dissolutio, disjunctio, vel σύγκρισις, discretio, discriminatio eorum, quæ erant implicata & indoluta, vinculis remotis.

§. XLIX. Ergo id demum, velit, nolit, adversarius largitur, ἐπιλυσις, prima, proximaque significatione, non notare sublationem, eversionem, abrogationem, destructionem, finitionem, abolitionem, quod soluturus Petri nodum tantopere contendit, sed evolutionem potius, ac resolutionem intricatorum, vel enodationem rerum implicitarum. Cujusmodi in explicatione, vel interpretatione Scripturæ obtinere, quum diffiteri non possit, profecto non video, quid in recepta de voce ἐπιλυσις sententia, in loco Petrino, tandem desiderare velit.

§. L. Jam quod ad alterum Act. XIX, 39. attinet, illud initio dederim non gravate, voculam ἐπιλύειν esse quodammodo forenssem. Neque tamen ex eo sequitur, quod interpretationem non possit significare. Hoc enim loco idem est, quod rem proponere, causam cognoscere, cognitam per plebiscitum decidere, & ut cum vulgo loquar, resolvere, *eine Sache untersuchen, und entscheiden, ausmachen*. Quæ ipsa vero magnam cum interpretatione habent affinitatem. In hac enim primo, quis verus sit ac proprius verborum sensus, *queritur*, ac dispicitur: deinceps totus contextus *examnatur*, ac postremo, cognitit, expensisque omnibus, quæ sit vera, & ab auctore intenta, hujus vel illius loci sententia, *deciditur*. Nec quidquam recentioribus imprimis interpretibus frequentius est, quam, ut cum singulorum verborum con-



consideratione, variarum etiam quæstionum ἐπίλυσι & discussionem conjungant.

§. LI. Observat, nec male illud, Cenfor, LXX. Interpretes de somniorum, enigmatum, & Symbolorum hieroglyphicorum evolutione usurpasse τὸ συγκρίνειν, tanquam Synonymum τῷ ἐπιλύειν, sic, ut verborum interpretationem sollicitè distinxerint ab enigmatum & rerum solutione, pag. 38. Sed meminisse debebat, nervum interpretationis, si non omnis omnino sermonis, certe Scripturæ S. esse τὴν σύγκρισιν πνευματικῶν 1. Cor. II, 13. Quod liquet non solum ex lumine naturæ supposito, ex quo palam est, omnem in aliis disciplinis, commentariis, ac Legibus civilibus, expositionem hujusmodi collationem constare; Sed & ex ipsarum literarum S. intimatione, quæ cum cavet ab idia ἐπιλύσει, & prophetiam analogiæ fidei admittitur, docet eo Spiritu S. literas intelligi debere, quo sunt inspirata, qui Spiritus certissime in S.S. literis resonat. vid. Dannh. in Herm. S. pag. 343. qui complusculis illud exemplis probat, & ad σύγκρισιν illam, investigationem scopi, considerationem circumstantiarum, contextus, analogiæ fidei, collationem locorum parallelorum, versionum & parabrasum refert. Ut adeo vel ipsius adversarii observatione liqueat, ἐπίλυσι, quum συγκρίσεως sit Synonymum, ab interpretatione verborum nihil differre.

§. LII. Nec officit huic sententiæ, quod omnibus crepat paginis adversarius, λύειν, καταλύειν, διαλύειν, ἀναλύειν esse ἀντιόνομα, & in se nullum habere cum interpretatione commercium. Primo enim a simplici ad composita, & ab horum uno ad alterum, non semper licet concludere. ἀνασκευὴ & κατασκευὴ: γινώσκων, ἀναγινώσκων, καταγινώσκων: κρίνειν, ἀνακρίνειν, ἐπικρίνειν, συγκρίνειν, κατακρίνειν, cognata sunt, & tamen significandi ratione plurimum differunt. Quapropter, si  
vel



vel maxime alia cum τῶ λύειν composita, nihil cum interpretatione haberent commercii, ex eo tamen non sequeretur, idem περὶ τῆ ἐπιλύειν statui oportere. Διάλυσις & ἐπιλύσις, ad-versarii iudicio, sunt Synonyma. Διάλυσις vero *Charifto*, *Diomedii*, & aliis Grammaticis, idem est, quod παρένθεσις. Numne idcirco ἐπιλύσις etiam idem est, quod παρένθεσις? Non puto. Sed esto, hic ad simplex, & reliquam compositorum turbam respiciendum esse, sufficit, quod supra ostendimus, τὸ λύειν LXX. usurpasse de explicatione ac declaratione verborum: ἀναλύειν vero ad interpretis officia præcipue pertinere. Denique Cenfor ipse novam, necdum facile auditam loci nostri interpretationem, in ipsa hujus libelli fronte, *solutionem nodi Petri* nominat? Quid igitur hic reprehendit in aliis, quod ipse vel invitus, vel imprudens, probavit?

§. LIII. Constat igitur hæcenus, quod ἐπιλύσις possit significare interpretationem. Quod autem *actu ipso* h. l. significet, & de voluntate auctoris Spiritus S., significare *debeat*, e visceribus textus, collatisque iis, quæ antecedunt, & quæ subsequuntur, docebimus.

§. LIV. Initio illud (a) extra controversiam ponendum esse arbitror, Petrum, hoc in commate, *novum* quid, & *antea non allatum*, proponere voluisse. Siquidem conceptis verbis docet, id, quod jam edisserere velit, *prius* tenendum esse iis, ad quos scribebat, *quam* ad ea observanda se conferant, quæ præcedenti commate 19. commendat. At vero, si, ut persuasum est adversario, ista *ιδίας ἐπιλύσεως* negatio id infert, Scripturam, ejusque promissiones, non posse *infringi*, *destrui*, aut *aboleri*, nec *irritas reddi* a quoquam, tum profecto Apostolus non *novum* quid attulit, sed *jam* commate 19. *allatum* repetiit. Adversarii enim ipsius iudicio, λόγος προφητικὸς ideo βεβαίωτερος salutatur, quia infirmari, irritusque reddi non potest. Quod  
idem



idem si negatio *ιδίας επίλυσεως* infert, quid *novi*, aut a com-  
mate 19. diversi, dixerit c. 20. Petrus, nondum perspicio.

§. LV. Deinceps (b) illud h. l. intelligitur per *ἐπίλυ-  
σιν*, quod *relictis omnibus est cognoscendum, antequam atten-  
damus ad Scripturas*. Atqui vero, non, quod Scriptura tolli,  
everti, destrui, abrogari, irrita reddi nequeat; sed quod pri-  
vato arbitrio, ingenioque explanari non debeat, relictis o-  
mnibus præmittendum est *τῷ προσέχειν* ad Scripturam. *At-  
tendimus enim, ut intelligamus*. Sed nemo feliciter, & cum  
fructu *intelliget*, nisi meminerit, ea omnia, ad quæ attendit,  
non pro sua, sed pro Spiritus S. in Scriptura loquentis, volun-  
tate intelligi oportere. Hoc ipsum igitur *τῷ προσέχειν*, reli-  
ctis omnibus, est præmittendum.

§. LVI. (c) *ιδία επίλυσις* Scripturæ non ideo negatur, quia  
*λόγος προφητικὸς* sit *βεβαιότερος*, ut adversario est persuasum,  
sed quia *θελήματι ἀνθρώπου* nullus allatus unquam fuit. Quod  
ostendit manifesta verborum cohæsiō, quoniam, redditurus  
causam negatæ de Prophetia scripta *ιδίας επίλυσεως*, immedia-  
te subjicit: *Non enim voluntate hominis allata est prophetia*  
&c. Ut adeo argumentum Apostoli huc redeat: Q. non est  
hominis voluntate allatum, aut proprio ingenio excogitatum,  
illud nec pro lubitu, privatoque consilio, vel arbitrio, est in-  
terpretandum, sed potius pro voluntate illius, cujus volun-  
tate allatum est. *Significantis enim est, interpretari signa, qui-  
bus in significando est usus, & quælibet literæ non pro volun-  
tate legentis, vel audientis, sed scribentis, vel dicentis, sunt*  
accipiendæ. Atqui vero Prophetia omnis, hominis volunta-  
te allata, vel proprio ingenio conficta non est. E.

§. LVII. (d) Q. relictis omnibus est evitandum, ut *dies*  
*salutaris & uberioris notitiæ oriatur in cordibus hominum*, illud  
h. l. per *ιδίαν επίλυσιν* est intelligendum. Postquam enim A-

E

posto-



postolus ad τὸ προσέχειν ad Scripturas hortatus fuerat Christianos, quo dies ille in eorundem animis oriretur, hoc equidem relictis omnibus tenendum esse monet, Scripturam *ιδίας ἐπιλύσεως* non esse. Atqui vero, non quod *promissiones* Scripturæ *irritæ reddi*, ac infirmari non possint, sed quod Scriptura *privato consilio explicari non debeat*, relictis omnibus est vitandum: si quis enim vel maxime statuatur, promissiones Scripturæ immotæ auctoritatis esse, easque infirmari, aut irritas reddi non posse, propterea tamen ἐν τῷ προσέχειν ad Scripturas nihilo erit felicior, quia idem Iudæis, & omnibus hæreticis est persuasum, qui tamen etiam προσέχοντες ad Scripturas horribiliter errant. Contra vero, si quis etiam atque etiam apud se reputet, Scripturam omnem, nec humano arbitrio allatam, nec privato consilio interpretandam esse, tum demum in cognitione rerum divinarum recte proficiet. Privato igitur consilio interpretari Scripturas *ιδίας ἐπιλύσεως* nomine h. l. innuitur, summoque studio vitandum proponitur.

§. LIX. (e) Cujus *proxima causa est* *θέλημα ἀνθρώπου*, illud h. l. per *ιδίαν ἐπιλύσιν* intelligitur. Ideo enim negatur ab Apostolo, Scripturam *ιδίας ἐπιλύσεως* esse, quia hominis voluntate non sit allata. At enim vero non *abolitionis*, vel *annihilationis*, & ut sic loquar, *cassationis* Prophetiarum promissionum, sed privato consilio, & pro arbitrio susceptæ *interpretationis*, proxima causa est *θέλημα τῆ ἀνθρώπου*, quandoquidem promissiones divinæ, ne quidem ipsius Dei voluntate temere rescinduntur, quum dona illius sint ἀμεταμέλητα *Rom. XI, 29. E.*

§. LIX. Idem probat vox *ιδίας*, quam adversarius sic accipit, quod nulla promissio divina suæ sit dissolutionis, vel, quod propria sua natura non possit everti, solvi, dirimi, aboleri. *Astlam*, inquit, p. 68. *si querunt incauti, aut versuti in voce ιδίας, qua significet privatam, singularem, peculiarem explicā-*



plicationem, quæ a Petro interdicatur, quod peculiari, singulari sensu Scriptura explicari non debeat, nugas imperitis vendiderint. Præterquam enim quod plane nulla hic erat occasio, de qualicunque etiam Scripturae explicatione publica vel privata agendi, vox ἰδιος non ad personam, interpretem, spectat, quo de nullus sermo, sed ad rem, promissionem, puta Prophetiæ, quæ proprie, propria natura, genuina indole ac constitutione sua solvi, tolli, dirimi, pessundari, vel extingui nequeat. Dein ἰδιος Græcis millies non proprietatem, aut singularitatem notat, sed idem est eleganter, ac pronomem suus.

§. LX. Sed respondemus (1) falsum esse, & toti contextui adversum, quod hic non agatur de interpretatione Scripturæ, sed firmitate divinarum promissionum. De hac enim ne γπῦ quidem, & nec vola, nec vestigium in toto hoc capite extat, quod cuius sanæ mentis, textum inspicienti patet. Falsum (2) est, vocem ἰδιος non ad personam, interpretem, spectare, quo de nullus sit sermo, sed ad rem, promissionem puta Prophetæ. Loquitur enim Petrus πρὸς τῶν προσεχόντων ad Scripturas, quorum præcipuus est labor, eruere verum Scripturæ sensum, quum frustranea & inanis sit omnis ad Scripturas attentio, nisi cum veri sensus investigatione conjuncta sit. At hæc vox ἰδιος in toto S. codice semper, quantum quidem mihi est observatum, personis tribuitur, non rebus. Provoco ad exempla, nec puto allaturum esse quonquam vel unicum locum, in quo τὸ ἰδιος ad rem referatur, non personam, aut quasi personam.

§. LXI. Ast, inquit, pag. 69. ἰδιος Græcis millies non proprietatem, aut singularitatem notat, sed idem est eleganter, ac pronomem suus. Christus se conferebat εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν, in propriam i. e. suam civitatem Capernaum. Sed respondemus (a) Etiam his in verbis τὸ ἰδιον respicit personam. (b) ἰδιον interdum notat alicujus consilium, vel opus, vel attribu-



tum, non excluso cause superioris auxilio. Quemadmodum jubet Apostolus Rom. XIV, 5. quemlibet ἐν ἰδίῳ νοὶ πληροφθεῖν, quo loco per τὸν ἰδίον non negatur Spiritus S. πληροφθειαν excitantis influxus. Eandem in sententiam ἰδίον κόπον 1. Cor. III, 8. ἰδίον χάρισμα nominat 1. Cor. VII, 7. Aliquando vero notat unius attributum, consilium, vel opus, cum exclusione cause superioris, e malo quodam principio profectum, utpote cum Pseudo-Christi venturi dicuntur ἐν ὀνόματι τοῦ ἰδίου Jo. V, 43. vel quando diabolus mendax loqui dicitur ἐκ τῶν ἰδίων Job. IIX, 44. vel etiam Iudæis ἰδία δεισιδαιμονία tribuitur Act. XXV, 19. Atque hoc significatu pollet, quando nostro in Oraculo negatur, Scripturam ἰδίας ἐπιλύσεως esse. Illa enim ἰδία ἐπίλυσις est, quæ est θελήματος ἀνθρώπων, quam scil. homo in sua potestate habet. Hanc ἰδίαν Apostolus nominat, non modo ratione *subjecti*, sed & *principii*, ita ut illa ἐπίλυσις non Spiritui S. nobiscum in Scriptura loquenti, sed proprio ingenio debeatur. Quod uti in se extreme corruptum, & ad recte assequendas Scripturas multo ineptissimum est, sic facile reddi potest ratio, cur ab eodem oriunda ἐπίλυσις h. l. prohibeatur. Uti diabolus, ubi de suo loquitur, mentitur; ita & ubi affectatus scripturarum interpres ἰδίαν adhibet ἐπίλυσιν, Scripturas non explicat, sed corrumpit, & tum seipsum, tum alios decipit. (c) Si ἰδίας ἐπιλύσεως non esse, idem est, quod ex se, suaque natura non perire, irritum reddi, aut solvi non posse, discere hic velim, quid opus fuerit illo ἐπιθέσει ἰδίας? Cur non plane, & procul proprietatis alicujus mentione, scripsit Petrus, Scripturam non posse ἐπιλυθῆναι, ad modum loci, Censoris iudicio paralleli Jo. X, 35. Cur negavit esse ἰδίας ἐπιλύσεως, eoque ipso virtualiter concessit, eandem esse posse ἐτέρας, seu ipsius Spiritus S. ductu susceptæ, ἐπιλύσεως. Certe enim, quod hic de Scriptura negatur, ejus contrarium de illa affirmatur. Si ergo ἐπίλυσις notat abolitionem, destructionem, abrogationem,



nem, Petrus autem negat, *sua ipsius* abrogationis esse Scripturam, numne *aliena* est abolitionis? Imo vero recepta pro sententia, non immerito ita intulerim: *Q. actio non potest in idiam, seu privato, eodemque corrupto, arbitrio & ἐτέραν, seu alterius, ejusque fallere nescii ductu, susceptam distingvi, ea h. l. per ἐπίλωσιν non intelligitur.* Atqui abrogatio, destructio, dissolutio sermonis Prophetici, non potest commode in *ιδίαν ἢ ἐτέραν* distingvi, E.

§. LXII. Instat p. 70. Si vel maxime τὸ ἴδιος referri ad personam deberet, tamen non ad *interpretem*, sed *hostem* referendum esse. Ita quidem est. Veruntamen, ut non pugnat, eundem & Prophetam, seu *Pastorem*, præ se ferre, & simul *lupum* esse, *Matth. VII, 15.* ita etiam non pugnat, eundem & *interpretem* esse, & *hostem*. *Ιδίαν* enim *ἐπίλωσιν* non amant veri Ecclesiæ doctores, & germani SS. literarum interpretes, sed Pseudo-Prophetæ, & hæretici, qui eas non ad *Spiritus S. voluntatem*, & *jussum*, sed *suum ipsorum arbitrium* declarant. Ab hujusmodi ergo *ἐπίλωσει*, in *προσοχῇ* SS. literarum, præcipue cavendum esse, monet Apostolus, ne pro veris Scripturæ interpretibus, & Prophetis, evadant in hæreticos & Pseudo-Prophetas, cujusmodi per *ιδίαν ἐπίλωσιν* quamplurimos in Ecclesia emeruisse, subsequenti capite ostendit. Cujus ad *συνάφειαν*, cum ipse adversarius se recipiat, liceat, nostra pro sententia, multo, quam adversarius, pro sua, fortius inferre: *Q. nec Pseudo-Prophetis proprium, nec eorum potestati relictum est, illud h. l. tanquam idiomis assignari non potest.* Atqui vero promissionum divinarum certitudinem, ac veritatem *negare*, Pseudo-Prophetis non est *proprium*, quum omnes empactæ id faciant: *2. Petr. III, 4. destruere ac evertere illorum potestati relictum non est,* quum nulla hominum incredulitas fidem Dei tollere queat: Ergo. Imo vero ob arctissimam primi, & secundi capituli connexionem, ita concludimus: *Quicquid Pseudo-Prophetis*



*tis perpetuum est, & proprium, illud b. l. per ιδίαν ἐπίλυσιν intel-  
ligitur.* Ostendit enim capitis utriusque cohäsiō, Petrum non  
alia de causa, Scripturam esse *ιδίαις ἐπιλύσεως*, negasse, quam,  
quia & olim fuerint, & deinceps futuri sint, qui tractaturi  
scripturas, non *alienum*, nempe divinum, *ex ea sensum eruant*,  
sed *suum*, eumque corruptissimum, *in eam inferant*, iisdemque  
suam ad libidinem, cum humani generis exitio, abutantur.  
Atqui vero corrumpere Scripturas, easdemque privato inter-  
pretari consilio, proprium est, & perpetuum Pseudo-Prophetis:  
uti enim Prophetarum est, dextre, sobrieque interpretari Scri-  
pturas *1. Cor. XIV, 31. 32.* ita invicem Pseudo-Prophetis pro-  
prium est, falsis interpretationibus easdem corrumpere. E

s. LXIII. Quas nobis de cetero dissentientium *auctori-  
tates* opposuit, eas suo loco relinquimus. Possumus iis, utut non  
adeo paucis, multo plures, nec minoris momenti, opponere.  
Sufficit, quod ne unum quidem, ex omni sanorum doctorum  
multitudine, ac ne ceterorum quidem, producere potuit, a suis  
qui omnino stetit partibus. Qui *ἐπίλυσιν* & *ἐπιλύειν* aliquan-  
do interpretationem notare, simpliciter, cum adversario, ne-  
garet, nemo fuit. Quin potius hunc verbi significatum *Eras-  
mus, Beza, Stephanus, Scapula, Grotius, Heinsius, Genevenses, Qui-  
storpius* ipse, omnes denique faciles admittunt. Quos uti  
Græcæ literaturæ, si non ampliore, certe non inferiore, gradu  
peritos fuisse, inter omnes constat, ita sapientioribus judican-  
dum relinquo, quantæ audaciæ res sit, hanc vocis *ἐπιλύσεως*  
significationem in dubium vocare. Si *Morus*, hoc in argumen-  
to, Vir sui *nominis* fuit, quid tum postea? *Morentur* & alii *cum  
Moro*, si ita placeat, dummodo illius auctoritate ad premen-  
dam veritatem non abutantur, aut eos omnes pro inertibus,  
ac stolidis habeant, qui secum *morari* nolint. *Camero* lar-  
gitur, vocem *ἐπίλυσις* alias interpretationem notare: tan-  
tum *hoc in loco* notare negat, ideo, quod *ἐπίλυσις* sit interpre-  
tatio



tatio rerum, difficilium, nodosarum, & ænigmatum, & de *totâ* scriptura negetur, quum tamen *totâ* non sit *nodosa*, & ænigmatica. Sed facile remoturi sumus obstaculum, dummodo afferamus, vocabulum *πᾶσαν* h. l. ut alias, & sigillatim *2. Tim. III, 16.* ubi pariter Scripturæ tribuitur, non *distributivè*, sed *collectivè* sensus esse. Quo pacto nulla religione prohibemur, *πᾶσαν γραφὴν* ænigmaticam esse, quum id affirmet Apostolus *1. Cor. XIII, 12,*

§. LXIV. Quæ de cetero ad calcem libelli de distinctione sensus in *primævum*, & *Ecclesiasticum* disputat, ea suo loco reliquerim. Nostro iudicio satis fuerit, inter veram Scripturæ *interpretationem*, & qualemcunque illius *accommodationem*, vel etiam germanum SS. *literarum sensum*, & qualemcunque illarum *usum*, distingvere. Multi, cum *verba tenus* locum Scripturæ causæ suæ inservire vident, eundem allegant, non ut ejus *sententiam* pro argumento adducant, sed ut *verbis* ejus argumentum illustrent, adeoque *alludunt* potius ad locum, quam ut verum illius sensum expromant. Esto igitur, aliquos negationem *ἰδίας ἐπιλύσεως* de Scriptura sic accepisse, *quod non cuivis competat Scripturæ interpretatio*, non debet ille sensus statim pro *Ecclesiastico* haberi, aut *toti Ecclesie* imputari. *Nostriis* certe non est, quæ multo aliter Petri verba interpretatur, quod notum est Adversario. Itaque falso, nec sine calumnia, istæ interpretationes inter sensus *Ecclesiasticos* referuntur: *quod non consultum sit, ubique propriam & genuinam Scripturæ sententiam referre: Magistratum posse, uti omnia in Republica, ita & veritatem, veramque Scripturæ sententiam edicendam, publicandam quadantenus limitare, aut restringere, cum contingat, ut veritas sit intolerabilis, quod non est privati semper pervidere &c. Communes opiniones in Scripturæ interpretatione esse tutiores, quanto communiores, tanto gratiores vulgo.* Quis enim sanus Ecclesiæ nostræ Doctor ita torfit Petrinum locum, aut quis *portentâ* illa pro *interpretatione* illius venditavit? Quis docuit: *non esse consultum, ubique propriam & genuinam scripturæ sententiam referre.* Nam quod DEO sapientissimo consultum visum fuit, *verbis* Scripturæ *incluere*, & ad eruendum *omnibus*, & *ubique* non *proponere* modo, sed etiam *commendare Jo. V, 39.* num *inconsultum* fuerit, ope Spiritus S. *adinventum*, & *erutum communicare cum aliis*, & *ubique referre*? Qui *mala agit, Φᾶλα πρᾶσσῶν*, etiam docendo, is odit



is odit lucem, exemplo eorum, qui subeunt in familias, & captivas ducunt mulierculas, 2. *Tim. III, 6*, qui autem operatur veritatem, venit ad lucem *Jo. III, 20*, Scripturæ fontes omnibus patent: omnes ad eos remittuntur. Sed si non est consultum, ubique propriam & genuinam Scripturæ sententiam referre, neque consultum fuerit, omnes promiscue ad lectionem Scripturæ admittere, quod est *Papisticum*. Vero scripturæ sensui opponitur errōneus & falsus. Si non est consultum, ubique referre verum & genuinum, num alicubi consultum est, referre erroneum, & falsum? Consultum igitur est alicubi circumvenire homines, ac decipere, proh! scelus. At, inquires, in Magistratus tamen potestate est, veritatem edicendam quadantenus commodi publici causa restringere. Numne vero religio accommodanda est Reipublicæ, hujusque commodis? Ita quidem persuasum est empæctis seculi nostri. Nego autem, & præeunte Scriptura, nego, id Magistratui licere. Hic enim Dei minister est, *Rom. XIII, 4*. Sed dedecet Ministrum mandata Heri sui restringere. Officium Magistratus est, curare, ut homines vitam agant ἐν πίστει εὐσεβείᾳ ἢ σεμνότητι. *1. Tim. II, 2*. Qui obtinebit εὐσεβεία, exclusa, & cohibita ἀληθεία? Nullum tantum esse potest reipublicæ commodum, ut eum a præstando Numini obsequio revocare possit, quum commoda civilia postponi debeant spiritualibus.

§. LXV. Postremo, etsi, quod Adversario est persuasum, nostro ex Oraculo non fluat, in se tamen certa sententia est, *opiniones communes, in Scriptura interpretatione esse tutiores*, nec tutiores modo, sed etiam plerumque *meliores*. Sunt enim fere simplices, & primo verborum intuitu a legentibus conceptæ, adeoque ab ipso potius Spiritu S. oblata, quam humana industria eruta, ac investigata. Prodigiousæ vero, & ante inauditæ sententiæ, utut forte lubricis, & male curiosis ingeniis satisfecerint, pleræque omnes plus *carnem & sapientiam seculi*, quam *Spiritum*, & serium *veritatis amorem* sapiunt. Quarum ad gregem, merito quodam suo, Literatoris Juliani de loco Petrino sententiam rejecerim, quippe ne *speciosam* quidem ubique, nedum *solidam*. Itaque si vel maxime, quod vereor, multa is reclamaverit, obverteritque deinceps, tamen ut hæcenus disputata non modo jam adhibitis, sed & porro adhibendis cavillationibus removendis suffectura esse confido; sic nemo mihi vitio vertet, si vel verbum porro super hac re cum quocumque quoquam commutare noluerō.



Aug VI 49 (1)

ULB Halle

3

001 853 821



5b.

VD 18

VD 17

Retro /







23.  
20

2. D. B. VI  
AUSPICIIS

RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMI,  
SERENISSIMI PRINCIPIS ATQVE DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,  
ELECTORATUS SAXONICI HEREDIS  
ETC. ETC

# NODUM IN SCIRPO,

*seu loco 2. Petr. 1, 20. quæsitum, & ab  
H. H. non solutum, sed nexum,*

PRÆSIDE

GOTTLIEB VVERNSDORFIO,

S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Alumn.

Sax. Inspectore, & Acad. h.t. PRO-RECTORE,  
d. XXVI. Mart. A. R. S. clō 10cc IX.

H. L. 2. C.

VALIDIS RATIONIBUS RESOLVET  
I. GOTTFREDUS ROMANUS HENNIUS,  
VVEISSENSEA-THUR.

VITEMBERGÆ,

LITERIS CHRISTIANI GERDESII.

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Farbkarte #13

B.I.G.

